Rudolf Mücke.

De locis graecis, qui insunt in
Ciceronis ad Atticum epistulis.

Schimmelpfung.

Schulnachrichten.

Jahresbericht

über die

Königliche Klosterschule zu Ilfeld

von Ostern 1877 bis Ostern 1878.

Inhalt:

NORDHAUSEN, 1878.
Druck von C. Kirchner.

1878. Progr. № 259.

De locis aliquot graecis, qui insunt in Ciceronis ad Atticum epistulis.

M. Tulli epistulae, quibus haud scio an nullum aliud antiquitatis monumentum pluribus ac gravioribus mendis deformetur, etiamsi virorum doctissimorum ingenio et diligentia innumeris vitiis purgatae sunt, tamen multa restant ita composita, ut etiamnunc bene mereatur, qui eis medelam afferre conetur. Ex his igitur hac data scribendi occasione locos aliquot graecos, qui insunt in epistulis ad Atticum, denuo tractandos elegimus, ut pro nostra quoque parte auctori illustrissimo inserviremus. Quum enim perquireremus, quanam ratione Cicero lingua graeca uteretur, quum alia tum codicis M., quae a Baitero in apparatu critico Tauchnitzianae editionis commemorata sunt, librariorum errata collegimus, collecta accuratissime perlustravimus nova quaedam emendandi subsidia investigari posse sperantes. Quod ut faceremus, commoti sumus Baiteri quibusdam adnotationibus, quas quia infra usurpabimus, iam hoc loco afferre liceat. Leguntur autem haec p. XVIII: ,saepissime *ει* pro *ι* et vice versa' sc. codex M. perhibet; deinde p. LII: ,nihil frequentius in M. quam prava litterarum duplicatio'. ibid.: litterarum *Λ*, *ΔΛ*, *HN* (addimus *Π*), *MΛΛ*, *ΠΓΤΠ*, ***ΟΘΦ*** constans in hoc codice est confusio?' In hoc autem negotio persequendo ut scriptorem ex ipso corrigere propositum habuimus, ita tantum abest, ut omnia illa, quae semper et ubique librariorum neglegentia in lucem prodierunt, vitia et errata enumeremus, ut ea tantum hac commentatione accuratius tractaverimus, quae ab aliis neglecta ad emendationes nostras commendandas adiumento esse poterant.

Ac primum quidem eis, quae Baiterus adnotavit, addi posse videtur, etiam in graecis vocibus permulta exstare exempla transpositionis illius litterarum, de qua Wesenbergius in emendationibus p. 31—49 disseruit. Cujus quidem in codice M. — nam cum Baitero codicem M. longe omnium optimum et praeter ceteros respiciendum esse mihi persuasum est — haec fere luculentissima sunt exempla:

Binae litterae transpositae sunt hisce locis:

IV, 6 *κComi* — *κόσμει*
V, 21 *OΛIO* — *OΔOI* — *ὁδοῦ*
VII, 2 *CΠONΔEΛIZONTΛ* — *σπονδειάζοντα*
VIII, 8 *ΛΠYΘ* — *ταῖϑ*
IX, 10 *ΠEKYEINΛ* — *νεκυίαν*
XIII, 8 *ΠPONΛIC* — *προν(ο)ίας*
X, 13 *ΛΓENEΛIC* — *ἀγενείας*
X, 10 *ECΩ* — *ϑεῷ* (C = Θ)
IX, 17 ni id modo — (*κ*)*ινδυνώδη* (Archet.: kindinode)
XV, 19 *CXEΛΙΛCΛM* — *σχεδίασμα*.

Ternae litterae transpositae sunt in hunc fere modum[1]):

I, 14 *APICTOKATPIKΩC* — ἀριστοκρατικῶς
IV, 19 latinas *YTIKICMOC* — latinus Ἀττικισμός
VII, 8 *ΠΟΛΕΥΤΕΤΕΟΝ* — πολιτευτέον
VIII, 5 *ΚΛΕΡΕCCIN* — κεράεσσι
IX, 9 *TOTE* — τετο . .
IX, 4 pollicite — πολιτικαί
X, 1 *ΠΗΕΡΕΙ*, margo τέρπει — ὑπέρευ
VI, 5 *ΠΩΜΝ* — *ΜΗΩΝ* — μυῶν
XV, 13 *HPAKAEIAE(P)ONI* — Ἡρακλειδεῖον
XV, 27 *APHKAEIΔEOIN* — Ἡρακλειδεῖον.

Iam vero illud proxime allatum vocabulum, quod quattuor locis inque eis bis inviolatum legitur, optime probat, quam negligenter librarii scripserint. Quum enim litteram de littera exprimerent oculisque aberrarent, factum est, ut singulas inter sese transposuerint.

Atque his quidem exemplis allatis nemini mirum videbitur nos transpositione litterarum statuta etiam alios locos sanare studuisse, quos ordine librorum tractemus:

Primus inest in libri II epistula tertia: Cicero haesitat, utrum resistendum sit legi agrariae, quam Caesar ferre cogitabat, an quiescendum, an etiam adiuvandum, commodaque et incommoda percenset, quae sibi, si hoc vel illud fecerit, suscipienda sint, tum pergit:

,Sed me † κατακρεσις mea illa commovet, quae est in libro III:

Interea cursus, quos prima a parte iuventae
Quosque adeo consul virtute animoque petisti,
Hos retine atque auge famam laudesque bonorum.'

Attuli ea, quae sunt in Baiteri editione; nam neque Wesenbergio, qui, quod vulgo scribunt, Turnebianum illud κατακλεὶς in contextum recepit, assentiri possum neque Bootio, qui adnotat sese hoc loco requirere nomen, quod exhortationem designet, ideoque scribit κατάκλησις: utrumque enim, ut alia omittam, longius recedit a codicis M. scriptura, quam quod equidem haec vestigia secutus proponere audeo vocabulum κατάρκεσις. Quod ut commendem, haec in medium prodeant: Simplex v. ἄρκεσις invenitur apud Sophoclem O. C. v. 73

,καὶ τίς πρὸς ἀνδρὸς μὴ βλέποντος ἄρκεσις';

unde apparet ἄρκεσιν idem esse atque ,auxilium, subsidium'. Atque huius quidem notionis significatio praepositione κατὰ[2]) ita augetur, ut κατάρκεσις sit: ,auxilium semper et ubique perspectum et comprobatum', qua notione dubito an nihil aliud melius in hunc locum quadret. Quid? Ciceronis subsidium in omni rerum discrimine validissimum nonne fuit ipsum illud: ,cursus retinere, quos prima a parte iuventae petierat' aut quod paullo infra in eadem epistula scribit: εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης; Requiretur fortasse nunc, quemadmodum Cicero vocabulo κατάρκεσις, quod in sincera Graecitate nullum est, uti potuerit. At Romani graece loquentes et scribentes, ut Bootius h. l. rectissime adnotavit, multa non emendate usurparunt, quae vel a Graecis aequalibus acceperunt vel ipsi finxerunt. Qua de causa vocem κατάρκεσις commendare non dubitavi, praesertim quum verbum καταρκεῖν eodem fere sensu atque ἀρκεῖν a Graecis usurpari soleret. Ciceronis igitur animo statuendum est illud Sophocleum ἄρκεσις obversatum esse, quum v. κατάρκεσις adhibe-

[1]) ex eis, quae Wesenbergius p. 47 enumerat, exemplis unum eligimus: Att. VI, 1, 7 id rectum in MZ^b depravatum est in decretum.

[2]) cfr. Krüger Gr. Synt. p. 344 ,κατά Begriff der Vollständigkeit'.

beret vel sibi fingeret. Hic mihi verbi ἐμπεϱπεϱεύειν (ad Att. I, 14, 4) in mentem venit, Cicerone fictum esse verisimile est idque, etiamsi est ex eo numero vocabulorum, quae a ἅπαξ λεγόμενα appellantur, tamen nemini fuit offensioni. Turnebianum autem illud κατακλει ‚clausulam' indicare voluit, reieci, propterea quod neque hoc loco neque altero — nam ad Att. I cod. M. praebet ΚΑΤΑΚΙC — codicis M. auctoritate nititur idemque semel tantum in gr (schol. ad Arist. Ach. v. 659) ‚clausulam' significat, quae notio altero illo loco desideratur. proponere licet aliquid ad alterum illum locum IX, 18, 3 sanandum, vocabulum κατάληξι tuatur velim. Scriptum erat in archetypo, quod mihi in Z[b] κατακλεὶς latere videtur: ΚΑΤΑΛ — Ε et Π, Κ et Ξ confunduntur — unde ortae sunt lectiones et ΚΑΤΑΚΛΕΙC, quam ΚΑΤΑΚΙC, quam M. praebet. Eadem lectio κατάληξις haud scio an etiam in scholio A lateat. Iam vero v. κατάληξις et iu soluta et in astricta oratione ‚clausulae' vim haber est, quin nesciat.

Alter locus, quem transpositis litteris corruptum esse manifestum est, legitur in libri stula octava: Cicero Attico domum empturus Antium laudat:

‚Nihil quietius, nihil alsius, nihil amoenius ΕΙΜΗΙCΗΤΩ φίλος οἶκος

Baiterus quum neque Boosii εἴη μισητὸς φίλος οἶκος neque Peerlcampii εἴη μοι οὗτο probasset, codicis M. litteras depinxit, Wesenbergius cum Orellio Bosii emendationem in recepit. Nec iniuria: litterae ΕΙΜΗ transpositae sunt ex litteris εἴημ. . ., Ω scripta est quacum littera viginti fere locis in codice M. confunditur, C post Ω excidit veluti in ΑΠΟ h. e. ἀποτόμως X, 11, nisi forte mavis utroque loco litteram Ω ortam esse ex transpositis CO (pro OC). Nihil autem est, cur offendamus in vulgata explicatione: Ciceronem exclamare sit ipsa domus alias cara!" quo significet tantam esse suavitatem iucunditatemque aedium A narum, ut sua sibi domus paene odio sit.

Venio nunc ad libri V epistulam 11, qua exeunte in hunc fere modum Cicero scribit:

‚Brundisio quae tibi epistulae redditae sunt sine mea, tum videlicet datae quum ego me non belle haberem; nam illam † νομανδϱια me excusationem r ceperis.'

Ciceronem hoc loco νομανδϱίαν non scripsisse, etsi editores aetate priores vocem tueri sunt, inter recentiores nunc quidem constat, ex quibus unus Bootius, ut mendum tolleret, operam Atque is quidem Ciceronem opinatur hoc loco aliquam vocem Graecam, quae vulgarem, us occupationum excusationem indicasset, posuisse scribendumque esse censet: ‚νομαίαν τϱιβῆς sationem', quam lectionem editores non probarunt. Nam numquam in tot ad Atticum e Cicero, quotiescunque se rerum difficultate, quominus scriberet, impeditum esse autumat, ta trita excusatione utitur. Quae quum ita sint, quid tandem Attico causae fuisse visum si Cicero Brundisio non scriberet, eruere nostrum est. Minime enim Ciceronem, priusquam i vinciam proficisceretur, quindecim fere dies istic moratum esse ignoravit. Hic forsitan qu coniecerit, Attico in mentem venisse, Ciceroni certos, quibus recte commendari epistulae p homines defuisse; saepissime enim Cicero hunc in modum loquitur veluti V, 17, 1: ‚Paucis habebam certos homines, quibus darem epistulas'. Iam quum haec cogitatio me quoque s μονανδϱίαν scribendum esse initio putavi hoc sensu: ‚unus tantum homo sc. certus mihi erat non habebam satis hominum certorum, per quos plus unam epistulam — quam invenimus a V, 8 — mitterem, quod idem etiam Schneiderum suspicatum esse nuperrime ex Stephani th s. v. νομάνδϱια perspexi. At Ciceroni cum maxima turba in provinciam abeunti iam in certos, quibus litterae commendari possent, homines defuisse haudquaquam verisimile est, prae

quum alias Brundisio ad Atticum epistulas recte datas esse eadem illa verba doceant (Brundisio quae tibi epistulae redditae sunt sine meis): igitur ne Atticus quidem huiusmodi excusationem Ciceronis sibi finxisse potest. Qua de causa aliam viam ingressi omnes epistulas, quas Cicero brevi ante illud tempus dandas curavit, perlustremus: spes enim est in eis nos viam quandam emendandi esse reperturos. Ac primum quidem occurrit libri V epistula octava ipso Brundisio data, in qua haec sunt: ‚me et incommoda valetudo, e qua iam emerseram, utpote quum sine febri laborassem, et Pomptini expectatio . . . . tenebat duodecimum iam diem Brundusii, sed cursum expectabamus. Tu si modo es Romae — vix enim puto — sin es, hoc vehementer animadvertas velim . . . .' Quae verba quum doceant Ciceronem metuere, ne Atticus Romam reliquerit, suspicionem movent Atticum arbitrari, quod ipse Roma afuisset, a Cicerone epistulas non datas esse. Huc accedunt epistulae 4, 5, 6, 7 libri quinti in eandem sententiam scriptae cfr. V, 4: ‚si me amas, priusquam proficiscaris, effice', V, 5: ‚id ipsum scire cupio, quod ad tempus recte ad te scribere possim, ne dem frustra', V, 6: ‚brevior iam in scribendo incipio fieri dubitans, Romaene sis an iam profectus', V, 7: ‚quotidie vel potius in dies singulos breviores litteras ad te mitto: quotidie enim magis suspicor te in Epirum iam profectum'. Iam haec legenti cui non in animum venit Atticum *ἀποδημίαν* vel potius *ἀλλοδημίαν* suam fuisse causae existimasse, cur Brundisio sibi a Cicerone litterae nullae redditae essent! Et profecto via quaedam patet, ut scribamus: ‚nam illam *ἀλλοδημίαν* (sc. tuam) excusationem ne acceperis'. Nimirum littera *N* vocabuli ‚*ΝΟΜΑΗΑΡΙΑ* (with *N* written above) me' tum delenda est, quo facto transpositione — non nego audaciore — oritur *ΑΛΛΟ ΔΗ(Ρ)ΙΑ* me h. e. *ΑΛΛΟΔΗΜΙΑΝ*, ita ut littera e pronominis ‚me' ad voc. excusationem referatur. — Sed probabilior ratio sanandi etiam superesse videtur: exstant duae Ciceronis ad App. Pulchrum illo temporis spatio Brundisio datae epistulae, in quibus de provincia sibi tradenda cum Appio agens quum alia tum haec scribit: ‚censebant omnes, ut in Italia supplementum meis et Bibuli legionibus scriberetur; id quum Sulpicius cos. passurum se negaret, multa nos quidem questi sumus e. q. s.' His preces addit, ut Appius exiguas quas habeat copias quam minime imminuat: nam Ciceroni in provinciam ituro bellum imminebat cum bellicosioribus nationibus gerendum. Quae quum ita sint, suspicari licet Atticum, quippe qui illud Ciceronis studium omnia ad bellum parandi compertum habuisset, in hunc fere modum ei scripsisse: ‚*μονὴν* tuam *Ἀρείαν*' — haud enim ignoravit, ut supra tetigimus, Ciceronem quindecim fere dies Brundisii moratum esse — ‚excusationem accipio, cur sine tuis Brundisio mihi litterae datae sint'. His autem verbis non vulgaris occupationum, sed eiusmodi excusatio continetur, quae ex sententia Ciceronis esse debebat: *μονὴ* enim *Ἀρεία* ea est mora, quae in Marte comparando conficitur. Scribatur igitur velim: ‚nam illam *μονὴν Ἀρείαν* meam excusationem ne acceperis'. Verba graeca, quae proposuimus, transpositione statuta proxime accedunt ad ductus illos, qui sunt in codice M.:

cod. M. *ΝΟΜΑΗΑΡΙΑ* me (with *N* written above)
nos *ΜΟΝΗΝ ΑΡΕΙΑ*[*Ν*] me[am]

similiterque dicta sunt atque *τεύχεα ἀρήϊα, ἔντεα ἀρήϊα* ad alius morae differentiam.

Deinde libri V epistula 20 scripta in Cilicia in medium prodeat: Cicero sese imperatorem appellatum esse nuntiat, magno cum gaudio res gestas in provincia narrat, continentiam et suam et suorum in caelum paene extollit, ita pergit:

‚quid quaeris? fuit tanti (sc. integritas mea), me ipse non noram nec satis sciebam, quid in hoc genere facere possem; recte *ΠΕΦΕCΙΩΛΙ*, nihil est praeclarius‘. Hoc loco quum hauddubie notio, quae elationem animi indicet, requiratur, corruit illud, quod nonnulli voluerunt, ‚πέφεισμαι‘ h. e. ‚abstinens fui‘, etiamsi et in Med. et in editionis Cratandr. vestigiis inesse videtur. Itaque Baiterus et Wesenbergius in contextum receperunt formam: ‚πεφυσίωμαι‘ e lingua vulgata translatam, ubi verbum φυσάω cum verbo φυσιόω confundi solebat. Et profecto in ipsa forma πεφυσίωμαι illa tantum abest, ut haereamus, ut Ciceroni tum versanti inter homines linguam graecam vulgarem loquentes eam attribueremus, nisi forma πεφύσημαι, quam Wesenbergius in adnotatione protulit inque eam et ipsi incidimus, propius accederet ad characteras illos, qui sunt in codice M. Ordo enim corruptelarum, opinor, hic est:

M.: *ΠΕΦΕCΙΩΛΙ*
ortum ex: *ΠΕΦΙCΕΩΛΙ*
Archet: *ΠΕΦΥCΗΜΛΙ*

Ω et *Μ* inter se confunduntur cfr. ad Att. II, 1 *ΠΟΛΕΙΤΙΚΜΤΕΡΟC* i. e. πολιτικώτερος; *Ι* et *Υ* compluribus locis commutatae sunt velut II, 3 Θεοφράστοι, II, 11 ἀγαθοι (ἀγαθοῦ), II, 14 ἐντιραννεῖσθαι, aliis locis; saepissime *Ε* et *Η*. Fere eadem transpositio litterae *Ι*, quae in πεφύσημαι, occurrit XIV, 5 *ΙCΕΙΤΗCΑC* pro *ΕΙCΙΤΗCΑC* h. e. ᾐσίτησας. Quibus mendis perspectis Wesenbergii coniecturam ‚πεφύσημαι‘ fieri non potest quin amplectamur eamque restituendam curemus. Huc accedit quod verbum φυσᾶν ab optimis auctoribus usurpatur optimeque quadrat in huius loci conformationem.

In libri noni epistula quarta, ad quam deinceps accedimus, Cicero, ut animum abducat a temporum angustiis, sumit sibi quasdam ut ipse dicit ‚tamquam θέσεις πολιτικὰς‘ in hanc sententiam:

Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ; τυραννουμένης δ' αὐτῆς εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν; εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς ΕΡΡΘΗΤΑΙ; εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι κ. τ. λ.

Pro *ΕΡΡΘΗΤΑΙ* C habet ἄρθηται, Zb *ΕΡΕΗΤΑΙ*. Ex his scripturis, quarum nulla ad graecam linguam aptari potest, genuinam sibi eruisse videbatur Bosius, quum αἴρηται scriberet — nam Malaspinae ἀρθῇ totum coelum a codd. distans non recipiendum esse apparuit — hoc fere sensu: ‚an verendum, ne, qui tyrannidem evertit, ipse erigatur et sese supra alios efferat sicque imperium et tyrannidem occupet‘. Quae emendatio quum ad totius enuntiationis sensum aptissima esset, ab omnibus recentioribus editoribus probata illa quidem est, nec tamen ad codicis M. vestigia convenit. Contra lectio codicis M. *ΕΡΡΘΗΤΑΙ* quamquam perspicue mendosa est, tamen quin proxime accedat ad ea, quae Cicero scripsit, non dubito. Quid? littera altera *Ρ* deleta ex characteribus *ΕΡΘΗΤΑΙ* nonne facillima transpositione oritur vox *ΘΕΡΗΤΑΙ*, quae quidem eundem atque Bosius rectissime statuit, sensum prae se fert? Quaerit Cicero, sitne cavendum, ne, qui tyrannidem evertat, ipse calefiat sc. cupiditate dominandi. Pompeium spectat, qui ne Caesare oppresso regnum appetat, iure Cicero metuit; libri sexti Iliadis*) saepius a se laudati verba spectat, quae facit Hector Alexandrum Helenae maritum stimulans:

*) quatuor loci sexti Iliadis libri a Cicerone citantur cfr. Josephus Frey: adnotationes ad M. Tullii Ciceronis epistulas P. II p. VI Rössel 1875. — idem, opinor, rectissime suspicatus est, certas quasdam partes cum Iliadis tum Odysseae praeter ceteras a grammaticis in scholis tractatas puerisque discendas datas esse, in quo numero Iliadis librum VI collocat. Quodsi Cicero majorem partem libri VI memoria tenuit, quid mirum, quod vocab. θέρηται ex eo sibi deprompsit!

,ἀλλ' ἄνα, μὴ τάχα ἄστυ πυρὸς δηΐοιο θέρηται'.

Eo facilius autem Cicero verbo θέρεσθαι uti potuit, quod etiam prosa oratione non alienum erat. Occurrit enim in Platonis Philebo p. 46 eadem ipsa forma θέρηται. Sed ne curavit quidem auctor latinus, orationi solutae an devinctae aptior esset vox θέρηται, quum idem paullo post diceret: εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ κ. τ. λ., quod verbum ἀρήγειν tantum non apud poetas solum invenitur (cfr. Stephani thes.s.v.). Quibus rebus expositis ut in libri sexti epistulis quarta et quinta nemo offendit in vocibus δάμαρ et συνάορος ex astricta oratione desumptis, sic hoc loco verbum θέρεσθαι spero fore, ut omnibus comprobetur.

Tum epistulam XII libri decimi videamus, in qua Cicero, quod ei Antonius sese neminem ex Italia discedere passurum esse scripserat, hunc in modum queritur:

,Quo me nunc vertam? undique custodior, sed satis de lacrimis. *ΠΑΡΑΟΤΛΕΥΤΕΟΝ* igitur et occulte in aliquam onerariam corrependum'.

Baiterus in adnotatione critica hasce commemorat emendationes: παραπλευστέον (Victor.), πάρωρα πλευτέον (Graev.), παραθύρῳ ἐξιτέον (Cobet.) nullaque probata codicis M. litteras depingit; Wesenbergius Wölfflini, quae est in Philologo XXX p. 115, emendationem*) παρακλεπτέον in textum recepit acutissimam sane primo aspectu, sed longius a codicis M. scriptura recedentem. Nam minus urgeo in scriptore latino graece loquente verbum παρακλέπτειν hac translata notione ,clam furtimque praetergrediendi' nusquam reperiri; maioris momenti est, quod ipsa notio furtim praetergrediendi haud scio an magis quadret, quum agitur de custodiis illis, quibus mare obsidebatur, navibus scilicet speculatoriis, quam de exploratoribus emissariisque Antonii (X, 18, 1, ,omnes enim Κωρυκαῖοι videntur subauscultare quae loquor'), qui dolis deciperentur necesse erat, ut Cicero posset navigare. Quae si recte exposita sunt, in illis litteris nihil nisi notio ,fallendi, decipiendi' inesse potest eamque mihi eruisse videor forma παραλογιστέον proposita, quae quidem proxime accedit ad ductus codicum praestantiorum:

cod. M. *ΠΑΡΑΟΤΛΕΥΤΕΟΝ*
Zb.: *ΠΑΡΑΟΤΛΕΙΤΕΟΝ*
nos *ΠΑΡΑΛΟΓΙϹΤΕΟΝ*.

Apparet litt. *ΕΥ* vel *ΕΙ*, quas Zb. habet, scriptas esse pro simplici littera I (cfr. supra p. 1); *Ϲ* librariorum culpa, ut saepius, excidit: litterae *ΟΤΛ*, in quibus *Τ* depravata est ex littera *Γ*, transpositae sunt ex litteris *ΛΟΓ*. — Est autem v. παραλογίζεσθαι, quod verbum ab oratoribus atticis saepenumero usurpatur: ,falsis ratiociniis decipere, cavillationibus ad falsam opinionem perducere'. Atque id quidem Ciceronis consilium fuisse, intelligitur ex eis, quae in epistula 16, 2 libri decimi scribit: ,consilium autem nostrum (navigandi) spero vacuum periculo fore: nam et dissimulabimus et — ut opinor, acerrime asservabimur — navigatio modo sit, qualem opto, cetera, quae quidem consilio provideri possunt, cavebuntur', et paullo infra § 4: ,ego ut minuerem suspitionem profectionis aut cogitationis meae, profectus sum in Pompeianum, ut ibi essem, dum quae ad navigandum opus essent, pararentur'. Quam ob rem non dubito, quin verbum παραλογίζεσθαι, quippe quum optime consentiat cum omnibus, quae Cicero illo tempore in animo habebat, restituendum sit.

*) Wölfflini verba haec sunt: Cicero war im Mai des Jahres 49 v. Chr. bereits entschlossen Pomp. zu folgen; das schlechte Wetter hielt ihn noch auf dem Cumanum zurück. Ein zweites Hinderniss berührt er IX, 19, 3 quoniam superum mare obsidetur, infero navigabimus et si Puteolis erit difficile, Crotonem petemus aut Thurios. Aehnlich X, 12, 2: Quo nunc me vertam? undique custodior (wie X, 18, 1) *ΠΑΡΑΟΤΛΕΥΤΕΟΝ* igitur et occulte in aliq. onerariam corrependum (um nicht entdeckt zu werden); man verbessere παρακλεπτέον.

Quoniam de libri decimi epistula 12 disserui, liceat mihi de eiusdem libri epistula 13 nonnulla addere, in qua extrema haec leguntur:

‚Silium et Ocellam et ceteros credo retardatos, te quoque a Curtio impediri video, etsi, ut opinor, habes *EKITAONON*‘.

Rectissime Baiterus in adnotatione critica, quia Bosii emendatio ‚*κέλητα ἄοκνον*‘ non toleranda est, *ἔκπλοον* vel *ἔκπλουν* scribi iubet. Ut enim Cicero ab Antonio, sic a Curtio Atticus, quominus ex Italia decederet, impediebatur: Atticus tamen, si quidem diplomate [1]) exstructus erat, iniuria retardabatur. Qua de causa a Baitero emendationem suam in contextum receptam non esse miror: *IT* est *Π*, *Λ* h. e. *Λ*, eaeque quae restant litterae *ONON* aut ita exortae sunt, ut librarius, postquam transposuit *EKΠΛOON* in *EKITAONO*, iterum litteram *N* adderet cfr. II, 2 *ΠΕΛΛΗΝΕΩΝΙΝ* pro *ΠΕΛΛΗΝΕΙΩΝ* (*Πελληναίων*), aut post vocem *ἔκπλουν* (fortasse corruptam in *ἔκπλον*) notionem aliquam in — *ον* exeuntem omitteret, ex qua Atticus ipsi diploma [2]) sumptum esse Ciceronem credere coniiceret. Quod alterum ut praeferam, Bosii duo vocabula continens coniectura me commovet, quam proposuit Tornaesiani (Z) illius codicis longe optimi, nimirum nostra aetate deperditi vestigia secutus. Accedit quod in eis, quae inter epistulam 13 et epistulam 17 intercedunt, epistulis nusquam diplomatis ullius mentio fit: itaque aut epistulam, in qua de eo scriptum erat, perisse aut Atticum ex hac epistula de diplomate conclusisse necesse est. Iam quum illud minus verisimile sit, hoc praeoptaverim et adiectivum *ἀκώλυτον* proposuerim, quod addatur, ita ut verba ‚te quoque a Curtio impediri video‘ opposita sint verbis ‚etsi, ut opinor, habes *ἔκπλουν ἀκώλυτον*‘ [3]). Nam qui diplomate exstructus erat, *ἔκπλουν ἀκώλυτον* habebat h. e. a nullo impediri poterat, quominus emigraret, itemque qui *ἔκπλουν ἀκώλυτον* habebat, eum diplomate extructum esse necesse erat. Quare Atticum, quia in his verbis offendit, de diplomate scripsisse mihi persuasum est, quasi Cicero flagitii eum alicuius insimulasset.

Sequitur ut de epistula 42 libri XIII disseram verbis his:

‚Scripseram iam, ecce tibi, orat Lepidus, ut veniam opinor, augures nil (fortasse ‚nullum‘) habere ad templum effandum. eatur † *ΜΙΛCΚΟΡΛΟΥ*, videbimus te igitur‘. Characteras *ΜΙΛCΚΟΡΛΟΥ* alius editor aliter corrigere studuit; recentioribus maxime placuit Gronovii emendatio ‚*μίασμα δρυός*‘ aliena tamen codicis vestigiis et verborum interpretationem magis contortam quam veram desiderans. Quae quum ita essent, alteram litterarum partem contemplatus latere in ea suspicatus sum nomen Codri, regis illius Atheniensium clarissimi: *ΚΟΡΛΟΥ* h. e. *ΚΟΔΡΟΥ*. Quod cur suspicatus sim, haec sunt: Paullo ante Cicero se amici adventum expectare dixerat (§ 2. ‚Sed heus tu, diem meum scis esse III Non. Ian. Aderis igitur‘), utpote qui Romam proficisci nollet [4]), quum de improviso Lepidus orat, ut ad urbem veniat: augures enim Ciceronem desiderant ad templum effandum. Itaque ut Lepido gratum faciat, Cicero quamvis invitus sese Romam iturum esse adscribit Codrum commemorans, qui pro patria mortem obiit: Sicuti enim Codrus morte sua patriam liberavit,

[1]) Bootius ad libri X ep. 17 (vol. II p. 125) optime, opinor, omnia exposuit, quae ad vocem ‚diplomatis‘ intelligendam necessaria sunt.

[2]) cfr. epistulam 17: ‚de diplomate admiraris, quasi nescio cuius te flagitii insimularem. negas enim te reperire, qui mihi id in mentem venerit: ego autem, quia scripseras te proficisci cogitare — etenim audieram nemini aliter licere — eo te habere censebam et quia pueris diploma sumpseras. Habes causam opinionis meae etc.‘

[3]) in cod. dep. Z fuisse suspicor huiusmodi litteras: *EKITΛΟΝ ΛΟΚΛΙΤΟΝ* (*ἀκώλυτον*), unde Bosii acumen hausit emendationem illam *κέλητα ἄοκνον*; easdem litteras cernimus in cod. M. decurtatas in *EKITAONON*.

[4]) cfr. XII, 39 ‚Romam, ut censes, veniam, sed invitus; valde enim in scribendo haereo‘, quae verba Cicero paullo ante ad Atticum scripserat.

servavit[1]). ita Cicero profectione sua augures, quum. illi ut templum effarentur, efficeret. Quodsi Codri nomen in litteris *ΚΟΡΔΟΥ* inesse statuimus, quid in litteris *ΜΙΛC* lateat, restat ut constituatur. Hic mihi a vero haud longius aberrasse videar, si vocabulum *ΟΙΜΟC* in archetypo fuisse coniiciam: littera *O* saepius omissa est, maxime ante *C* lit. in codice *M*, veluti I, 16, 15 *φιλοσοφητέον*, XII, 38, 4, *ΚΥΡC* (*Κῦρος*) nec eam ante litteram *C* excidisse mirum est. Ex litteris vero *ΟΙΜC* altera quoque littera *O* omissa facillime oriri potuit forma *ΜΙΛC*, quam cod. M. perhibet. Ergo ,*οἶμος Κόδρου*‘ velim scribatur: ,eatur semita Codri‘, quod quidem Cicero, opinor, subridens idemque ingemiscens scripsit, quum templi effandi auguriique agendi causa Romam esset profecturus. Codrum autem Atheniensem Attici sui gratia commemoravit, qui iocum Ciceronis, quin extemplo senserit, non dubium est.

Venimus iam ad libri XV epistulam primam, in qua Cicero quum alia tum mulierem quandam commemorat, quae, ut Schützius rectissime exposuit, a Cicerone laudata sperabat fore, ut eius uxor fieret: ,Istam vero, quam tibi molestam scribis esse, auditam a te esse omnino demiror. Nam quod eam collaudavi apud amicos audientibus tribus filiis eius et filia tua † *ΤΟΕCΤΟΥΟΥ* quid est hoc? quid est autem, cur e. q. s.‘ Hic primum verba illa ,quid est hoc‘? tueri meum est, quae Wesenbergio auctore a recentioribus editoribus uncis inclusa sunt. Wesenbergii verba Em. p. 118 haec sunt: ,suspicor vv. ,Quid est hoc‘ in Arch. codicum y. z. Md. nata esse ex marginali librarii alicuius interrogatione, quid corruptum illud ,*ΤΟΕΚΤΟΥΟΥ*‘ significet (sive enim ex ipsius Ciceronis persona sive ex Attici dicta sunt, cum seqq. ,Quid est autem‘ . . . parum apte cohaerent; cfr. Fam. III, 11, 2 ubi in cod. Graeviani contextum receptum erat ,proprium nomen fuit‘, in antiquiore aliquo ad ,si illa‘ adscriptum). His assentiri nequeo: primum enim omnibus ad unam epistulis ad Att. perlustratis nullum locum graecum inveni, quo a librario dubitante interrogatum esset, quid verba graeca sibi vellent, in quibus verbis affatim mendorum esse commemorare supervacaneum est. Librarii enim litteras graecas depingere satis habebant minimeque, quid illae significarent, curabant, quod idem et multitudine et genere mendorum probatur. Deinde non intelligo, cur verba illa ,quid est hoc‘ parum apte cohaereant cum verbis ,quid est autem e. q. s.‘ Immo verba graeca recte se h. l. habere iisque enuntiatum concludi etiamsi sumitur, tamen verba ,quid est hoc?‘ cum eis, quae sequuntur, bene cohaerent: Cicero — dicemus — postquam unum Attici, quod istam mulierem collaudasset, opprobrium reiecit, cum elatione quadam animi addidit verba: ,quid est hoc?‘ deinde ad alterum et gravius refellendum transgressus pergit: ,quid est autem e. q. s.‘ — autem exprimit quaerentis impetum et vehementiam cfr. Hand. Tursell. I p. 575 — quo doceat se nihil ultra aetatem suam fecisse. Sed ut equidem suspicor, enuntiatum illud, ,quid est hoc?‘ absolute non dictum, sed arctissime cum eis, quae antecedunt, coniungendum est, ita ut periodus, quae incipit a verbis ,nam quod . . .‘, finiatur enuntiato primario ,quid est hoc?‘ Quae si ita esse statuimus, omnes coniecturas improbare cogimur, quae ita comparatae sunt, ut enuntiatio verbis graecis concludatur veluti Corradi emendationem, quam Wesenbergius commendat, *τὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ*, Peerlcampii *τοῦτ' οὐκ ἐκ τοῦ νοῦ*, Kayseri *τί ἐκ τούτου*, easque eo libentius negligimus, quo facilius levissima transpositione omnia expediuntur. Litteras enim *ΤΟΕCΤΟΥΟΥ*, ut equidem opinor, ortae sunt ex litteris

[1]) Cicero de finib. V, 62 Codrum conservatorem reipublicae appellat.

[2]) Et profecto Wesenb. p. 117 unum tantum exemplum glossematis, quod ad graec. vocabulum additum esse videatur, profert: ,perexigue et *γλίσχρως*, praebere id est minutatim‘ ad Att. XVI, 1, quod tamen ita defendi potest, ut verba ,id est minutatim‘ a Cicerone ipso adiecta esse dicamur non ad unum voc. *γλίσχρως*, sed ad illa duo vocabula ,perexigue et *γλίσχρως*‘ explicanda.

ECTOTOYOY, a quibus pervenimus ad verba *ECTOIOYTOY* i. e. ἐκ τοιούτου (fortasse ἐκ τοῦ τοιούτου). Quae quidem verba ad totius enuntiati conformationem optime quadrare haud difficile est ad demonstrandum. Nam si ex eo, quod antecedit enuntiato (istam . . . . a te auditam esse demiror), ad verba ἐκ τοιούτου supplentur eadem illa verba ‚istam a te auditam esse', omnia prospere cadunt: ‚nam quod eam collaudavi apud amicos audientibus tribus filiis eius et filia tua, ἐκ τοιούτου (h. e. ob tam levem causam istam a te auditam esse), quid est hoc? (nihil est)'. Cur autem Orellius [1]), Bootius, alii in voce ‚tua' optimis libris testata offenderent, me non intellexisse confiteor: nam ablativus ‚filiis' non masculini sed feminini generis est pro ‚filiabus', quas convenisse Attica videtur, cum Cicero illam mulierem collaudaret.

Restat ut de forma ‚a r i t i a' epistulae undevicesimae libri XIV, quae adhuc omnium editorum in se contulit operam, quemadmodum mihi emendanda esse videatur, exponam:

‚S e d c u m D o l a b e l l a e † a r i t i a — s i c e n i m t u a d m e s c r i p s e r a s — m a g n a d e s p e r a t i o n e a f f e c t u s e s s e m, e c c e t i b i e t B r u t i e t t u a e l i t t e r a e'.

Dolabella etiamsi Cicerone illo tempore amicissimo utebatur et supra modum laudibus ab illo efferebatur [2]), quod Caesare interfecto columnam Caesari in foro positam everterat et severe animadverterat in audaces servos et nefarios liberos — ἀριστείαν Cicero Dolabellae rem gestam appellat —, tamen ea, quae Kal. Ian. debuerat, non persolverat. Quod quum Cicero eo gravius ferret, quo minus Dolabellae ἀριστεία Attico probabatur — accedebat, quod Dolabella eodem tempore se maximo aere alieno Faberii manu liberarat —, acerbissime de eo cum Attico in epistula, quae huic praecedit, conqueritur: ‚totum te a se abalienavit Dolabella ea de causa, qua me quoque sibi inimicissimum reddidit'. Ad quae Atticus ita respondisse videtur, ut moribus Dolabellae descriptis illum semper ita egisse et acturum esse ostenderet. Iam eodem, quo Atticus usus erat vocabulo, Cicero quoque utitur († aritia — sic enim tu scripseras —), quod ex graeca lingua depromptum fuisse omnes statuerunt, qui quidem Attici verba graeca latinis inserendi consuetudinem premebant. Baiterus in textum recepit v. ‚avaritia', quod Victorius proposuit, qui emendationes illius aetate prolatas (Bosii ἀπιστίᾳ, aliorum ἀριστείᾳ) iure improbavit. Baitero non assentior: nam primum vocabulum ‚avaritia' latinum est, quum graecum expectemus; deinde vitium ‚a v a r i t i a e', etiamsi Dolabellae moribus non alienum erat [3]), qui, quum aere alieno maximo premeretur, semper summopere opes sibi acquirere studeret, tamen mihi persuadere non possum Dolabellam, quod nomen debitum in tempore non dissolvisset, ab Attico avarum appellatum esse. Hoc est negligentiae vel inertiae, non avaritiae, tardum esse in debitis persolvendis. Et profecto Cicero nusquam scribit, id quod Victorius ei supposuit, Dolabellam solvere n o l u i s s e, sed non dissolvisse. Itaque ne Atticum quidem ei avaritiam exprobrasse crediderim Orelliique potius coniecturam ἀ π ι σ τ ί ᾳ probarem, nisi idem non ignorans, quantum forma ‚ἀπιστίᾳ' distaret a codicis M. vestigiis, addidisset: ‚sed nihil certi video'. Quamquam mihi certius aliquid eruisse videor. In Archetypo codicis M., opinor, iam perverse scriptum erat:

APITIA,

quam scripturam litteris *ITIA* transpositis fluxisse patet ex litteris

APTIAI h. e. *APΓIAI* (ἀργίᾳ).

Vocabulum ‚ἀργία' (socordia, inertia) Stephanus in thesauro cum vocabulo ἀμέλεια coniungi solere

---

[1]) Orellius: ‚mirum, si Attica adfuerit. Cum tribus filiis puto filiam i l l i u s mulieris sermoni adfuisse. *TYA* accedere debet ad litteras graecas *TO EKTOYOY*'.

[2]) Boot. II p. 290.

[3]) cfr. Drumann: Gesch. Roms II p. 572.

demonstrat. Vitia ἀργίας et ἀμελείας non dubito, quin imprimis causae fuerint, cur Dolabella non solveret. Paullo post Ciceroni satis fecisse videtur: nam ex epistulis, quae sequuntur, elucet amicitiam et societatem inter utrumque proximo quidem tempore imminutam non esse. Cicero sine ira et studio Dolabellam saepius commemorat in epistulis, quae sequuntur. Quae quum ita sint, hoc loco v. ‚ἀργίᾳ'[1]) restituatur velim.

Quoniam de transpositionibus satis disserui, enumerandi iam sunt loci nonnulli, quibus corruptelae litteris ante similis aut eiusdem formae litteras omissis ortae sunt. Ac primum quidem affero libri XII epistulam 40, in qua haec sunt:

‚συμβουλευτικὸν saepe conor: nihil reperio, et quidem mecum habeo et Ἀριστοτέλους et *ΘΕΟΒΟΜΜΟΥΓΙΒΡΟC* Ἀλέξανδρον'.

Baiterus edidit: ‚Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον', delevit igitur litteras *ΓΙ*, quod non probo; Wesenbergius illud *ΓΙ* respiciens scripsit: Θεοπόμπου τι πρὸς Ἀλέξανδρον, in quibus vocabulum τι languet: nam Cicero certos quosdam, quos illi Graeci Alexandro dedicarunt, libros commemorare videtur cfr. ea, quae Victorius ex Athenaei libro VI citat: Θεόπομπος ὁ Χῖος ἐν ταῖς πρὸς Ἀλέξανδρον συμβουλαῖς. Quoniam neutri assentiri possum, praesertim quum minus intelligam, quomodo factum sit, ut librarius *B* pro *Π* scriberet, cuius mendi omnibus librariorum vitiis perlustratis exemplum reperi nullum, equidem suspicor in litteris *ΓΙΒΡΟC* sitas esse litteras *LIBROCΠΡΟC* librariumque a littera *B* vocis ‚libros' aberrantem iam paullo ante scripsisse *ΘΕΟBOMMOY*, post syllabam *BPOC* autem omisisse praepositionem πρός. Ac ne quis miretur, quod voc. ‚libros' maiusculis litteris scriptum esse sumam, affero libri XVI ep. 10 ‚*ΑΠΙΕΕΤΟ*. tamen te' h. e. ‚Attice tota mente', *IN ΗΑΝC* h. e. ‚in hanc'. Quae scriptura inter voces graecas, quae in cod. M. maximam partem suis locis charactere quadrato[2]) exarata sunt, ex antiquissimo exemplari in Archetypum codicis M., quum transcriberetur, fieri posse ut translata et servata sit, quis est quin videat! Scribendum igitur esse censeo hoc loco: ‚mecum habeo et Ἀριστοτέλους et Θεοπόμπου libros πρὸς Ἀλέξανδρον'.

Huc refero libri II epistulam nonam, in qua meam cum Wesenbergii emendatione convenisse valde laetatus sum. Sine dubio enim exeunte epistula restituendum est: ‚Terentia tibi salutem καὶ Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον Ἀθηναῖον'. in cod. M. legitur *ΚΑΙΚΕΡΩΝ*, *ΑΙ* et *ΕΙ* autem rarissime confunduntur. Praeterea in ep. duodecima eiusdem libri eadem verba sunt: ‚Terentia . . . impertit tibi multam salutem, καὶ Κικέρων . . . ἀσπάζεται'. Itaque syllabam *ΚΙ* h. l. ante syllabam *ΚΕ* excidisse luce clarius est.

Minime autem assentior Wesenbergio εὐλαβῶς scribenti in epistula 23 libri XIII: rectissime enim Baiterus v. εὐαγώγως in contextum recepit, quod in codicis M. signis *ΕΥΑΓΩC* inesse Bosius viderat. Verba haec sunt:

‚Mea mandata, ut scribis, explica: quamquam ista retentione omnes ait uti Trebatius: quid tu istos putas? nosti domum. Quare confice *ΕΥΑΓΩC*. incredibile est, quam ego ista non curem'.

---

[1]) Haesitavi aliquamdiu, nonne v. ἀχαριστίᾳ recipiendum esset, quae emendatio nihilo audacior est quam Victorii ‚avaritia'. Atticus — sic statueram — Dolabellae factum, quod Cicero ἀριστείαν appellarat, ἀχαριστίαν illudens nominaverat exposueratque ingrati animi esse, si quis nomen debitum ei non solveret, a quo semper adiutus esset. Redii tamen ad id, quod proposui, quia proxime accedit ad ductus litterarum, qui sunt in codice M.

[2]) Hofmann: d. Krit. Apparat p. 8.

Agitur, ut Bosius*) exposuit, hic de exactione mercedis domus cuiusdam Ciceronianae, quam inquilinus aliquis Caesarianae factionis solvere recusabat, quod sibi ius esse diceret eam solidam aut certe eius partem retinendi. Nam Bootii mihi contortior videtur interpretatio explicantis vol. II p. 236: ‚nosti ex qua domo isti sint; nosti quam nihil honesti expectandum sit ab istius modi hominibus‘. Sed utcunque res est, certe verba, quae post *ΕΥΑΓΩC* sequuntur: ‚incredibile est, quam ista non curem‘ docent, Ciceronem non de caute (*εὐλαβῶς*), sed de quam commodissime (bono modo, *εὐαγώγως*) conficiendo cogitasse. Adde quod Cicero paullo post in epistula 25 hunc in modum scribit: ‚de retentione rescripsi ad tuas accurate scriptas litteras; conficies igitur, et quidem sine ulla dubitatione aut retractione. hoc fieri et oportet et opus est‘. unde patet, Atticum quam plurimum ab illo debitore exigere studuisse, Ciceronem autem praeter cetera id agere, ne Atticus nimium laboris et temporis in eiusmodi negotiis conterat, cui studio, opinor, prorsus repugnaret, si Cicero, ut *εὐλαβῶς* Atticus omnia conficeret, postularet. Litterae denique *Τ* et *Β* quum nusquam inter se commutatae in Graecis codicis M. vocabulis inveniantur, nihil obstat, quominus reiecto vocabulo *εὐλαβῶς* Bosii emendationem *εὐαγώγως* in contextum recipiamus. Et profecto syllaba *ΓΩ* facillime ante syllabam *ΓΩC* excidere potuit.

Restat ut de locis tribus verba faciam, in quibus genuinis prorsus aliae litterae substitutae sunt. Ac proxima quidem mihi occurrit libri V epistula 10 Athenis scripta a Cicerone in provinciam abeunte. Is quam invitus Italiam reliquerit munusque sibi infestissimum subierit, satis notum est. Itaque haec quoque epistula, quam in itinere scripsit, plena est querelarum, ex quibus haec profero: ‚... angor intimis sensibus; ita multa vel iracunde vel insolenter vel in omni genere stultitiae insulsae (Wesenb. pro ‚insulse‘, quod codd. praebent) arroganter et dicuntur et tacentur cotidie. Quae non quo te celem, non perscribo, sed quia *ΔΥCCΕΚΙΛΛΗΤΑ* sunt‘.

Valde miror, quod recentiores editores h. l. ne obiter quidem Turnebi, ut mihi quidem videtur, emendationem rectissimam commemorarunt, qui ita scribit: ‚puto legendum *δυςεκλάλητα*, quod et veteri scripturae a Victorio propositae *ΔΥCCΕΚΙΛΛΗΤΑ* affine est et sententiae quadrat, ut se neget perscribere ea posse, quae inenarrabilia (vel potius difficilia ad enarrandum) sunt‘. Una enim littera I in *Λ* mutata apparet vocabulum *ΔΥCΕΚΛΛΛΗΤΑ* oriri. Similiter in libri XIII epistula 39 genetivum *Παλλάδος* depravatum cernimus in *ΠΑΛΛΙΔΟ.C* Accedit, quod verba, quae sequuntur: ‚itaque admirabere meam *βαθύτητα*, quum salvi redierimus; tanta mihi *μελέτη* huius virtutis datur‘ hauddubie cum cavillatione quadam addita sunt, ad quam notio ‚efferendi, effutiendi‘, quae est in adiectivo *δυςεκλάλητος*, optime quadrat. Denique quae a ceteris omnibus ad hunc locum sanandum propositae sunt emendationes, ad unam omnes longius distant a codicis M. vestigiis, quam ut Turnebianae anteponantur. Quae quum omnes eundem fere sensum ac Turnebi emendatio prae se ferant (cfr. Orellius: *δυςεξελικτά*, Baiterus: *δυςεξείλητα*, Bosius, Wesenbergius: *δυςεξίμητα*, alii alia), Turnebianum illud *δυςεκλάλητα* iure mihi defendisse videor.

Deinde facere non possum, quin libri VI epistulam 5 afferam magna ex parte graecam: Cicero

---

*) Bosius ad. h. l.: Caesar inquilivis mercedes aedium unius anni, quae quingentas drachmas non excederent, remiserat, ut ait Dio libro 42. ideo dicebat Trebatius omnes inquilinos, nedum Caesarianos tantum, ea mercedum retentione tunc uti consuevisse. Itaque Cicero praefracte nolebat agi cum illo inquilino, a quo mercedem conductarum aedium exigebat, sed facili quodam modo, ut si ille honestam conditionem etiam modicam ferret, eam Atticus ne respueret. Non longe remotum e notione graeci huius adverbii *εὐαγώγως*, quod in fine huius epistulae idem Cicero dixit: ‚bono modo‘. — Haec verba Bosii, opinor, tam perspicua sunt, ut facile v. *εὐαγώγως* h. l. recte restitutum esse, assentiamur.

ab Attico petit, ut liberti Philotimi rationes perspiciat, a quo se deceptum esse haud iniuria suspicatur (*ἔδοξέ μοι .... ὑπό τι πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τοῦ Κροτωνιάτου*). Tum pergit:

,Hoc tu indaga, ut soles; ast hoc magis: *ἐξ ἄστεως* (Wesenb. *ἄστεος* contra codd. auctoritatem, quod non probo) *ἑπταλόφου στείχων παρέδωκε* (sc. Philotimus) *μνῶν ΚΔΜΝ ὀφείλημα τῷ Καμίλλῳ, ἑαυτόν τε ὀφείλοντα μνᾶς κδ' ἐκ τῶν Κροτωνιατικῶν καὶ ἐκ τῶν Χερρονησιτικῶν μη'. καὶ μνᾶς κληρονομήσας χμ' χμ', τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν † διευλυτῆσθαι* (cod. M.: *ΔΙΕΥΛΥΤΗCΘΑΙ*) *πάντων ὀφειληθέντων τοῦ δευτέρου μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ· τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ, ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνωνος πατρί, μηδὲν ὁλοσχερῶς πεφροντικέναι· ταῦτα οὖν, πρῶτον μὲν ἵνα πάντα σώζηται. δεύτερον δὲ ἵνα μηδὲ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τῆς προεκκειμένης ἡμέρας.*

In his etiamsi multa obscuriora (*ἐν αἰνιγμοῖς*, ut ipse ait Cicero ibid. ep. 7. 1) sunt, quam ut plane omnia intelligantur, tamen nullo modo concedendum est contra consuetudinem graeci sermonis a Cicerone scriptum esse. Ac primum, ut a levioribus incipiam, interpunctio illa post nomen *Καμίλλῳ*, quam Bootius, Baiterus, Wesenbergius posuerunt, deleatur oportet. Nam magnitudo nominum eadem est in utroque enuntiato (*ΚΔΜΝ ὀφείλημα .... μνᾶς κδ' .... μν'*) et accusativum *ὀφείλοντα* ut explicemus, verbum *παρέδωκεν* ad utrumque enuntiatum referre cogimur. Verba autem illa arctissime inter se coniuncta: ,*παρέδωκεν ὀφείλημα ἑαυτόν τε ὀφείλοντα*' transvertimus ita: ,ex urbe septem collium proficiscens Camillo — Ciceronis amico, qui absentis negotia curabat[1]) — nominis viginti quattuor et quadraginta octo minarum rationem reddidit et quidem se ipsum eiusdem nominis debitorem h. e. quum rationes illius nominis redderet, ipsum dixit quattuor et viginti minas debere ex bonis Crotoniaticis et quadraginta et octo ex eis, quae essent in Chersoneso'. Participium igitur *ὀφείλοντα* per coniunctionem *τε* ad verbum *παρέδωκεν* adiunctum est ita, ut quodammodo vim habeat enuntiationis secundiariae, quae compleat id, quod enuntiato primario dictum est[2]). Deinde in enuntiato altero, quod incipit a verbis *καὶ μνᾶς κληρονομήσας*, Cicero pergit enumerare, quibus de nominibus Philotimus rationes reddiderit, graviusque accusat Philotimi infidelitatem. Quum autem in eis, quae modo enarravit, Philotimum se ipsum debitorem esse confitentem fecisset, eundem reliqua quoque loquentem facit ideoque de improviso oratione obliqua utitur, quod quidem elucet ex infinitivis, qui sequuntur: nam hauddubie in characteribus illis *ΔΙΕΥΛΥΤΗCΘΑΙ* infinitivus quidam latet, quem paullo post infinitivus *πεφροντικέναι* excipit. At certe unum repugnat: participium illud *κληρονομήσας*, quod Victorius ex Med. litteris *αηρονομησας* enucleavit; repugnat casus nominativus toti contextui. Nec tamen difficile est ad explicandum, quomodo nomin. *κληρονομήσας* ortus sit; librarius enim, qui paullo ante vocabulum *μνᾶς* scripserat, litterarum similitudine seductus oculis aberrans scripsit *κληρονομήσας* pro *κληρονομῆσαι* (*ΜΝΑC (Κ)ΛΗΡΟΝΟΜΗCΑC*, *ΗΝΗ* perpetuo confunduntur), qui infinitivus requiritur. Neque enim Bootio assentimur[3]), qui quum nominativum *κληρονομήσας* premat, corrigi iubet: *αὐτός τε ὀφείλων* pro *ἑαυτόν τε ὀφείλοντα* (quae verba nostra

---

[1]) de quo sermo est, ut Bootius monet, Fam. V, 20, XIV, 5, 2. ad Att. VI, 1, 19; XI. 16, 5.

[2]) cf. Kühner Gr. Gr. p. 786, 2: ,In der Prosa ist die Verbindung einzelner Begriffe durch *τε* sehr selten. — Häufiger bei Partic. u. Infinit., die gewissermassen als ergänzende Nebensätze zu betrachten sind: *πυθομένη δ' ἐκείνη ἀφικνεῖται μέλαν τε ἱμάτιον ἠμφιεσμένη*, ,und zwar mit e. schw. Gew. bekleidet'.

[3]) Bootius I. p. 278: ,Accusativos *ἑαυτόν τε ὀφείλοντα* corruptos esse ostendit nominativus *κληρονομήσας*. Manifesto (?) enim utrumque participium referendum est ad subjectum verbi *παρέδωκεν*. Ergo corrigendum *αὐτός τε ὀφείλων*. Pro *διαλύσασθαι* (Cod. M. *διευαντῆσθαι*), qui infinitivus non potest a v. *παρέδωκε* pendere, verbum finitum requiritur, quod extricandum ex scriptura Med. *διευαντῆσθαι*. Satis aptum erit *διελύσατο*'. (?)

opinione arctissime coniungenda sunt cum v. παρέδωκεν) et διελύσατο pro infinitivo eo, qui continetur in litteris ΔΙΕΥΑΥΤΗCΘΑΙ, sed inversis eis, quae ille disseruit, nos concludimus ita: nominativum κληρονομήσας corruptum esse ostendunt et accusativi ἑαυτόν τε ὀφείλοντα, qui antecedunt, et infinitivi, qui sequuntur. Infinitivus κληρονομῆσαι pendet ex omisso verbo dicendi, quod ex v. παρέδωκε supplendum est, ita ut a verbis καὶ μνᾶς κληρονομῆσαι incipiat oratio obliqua. — Relinquitur, ut exponam, quemadmodum infinitivum ‚διευαυτησθαι' emendari velim. Hic mihi verba, quae sequuntur: ‚πρῶτον μὲν ἵνα πάντα σώζηται, δεύτερον δὲ ἵνα μηδὲ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς κ. τ. λ.' respicienda esse videntur. Nam quum Cicero nominatim de usuris, ne eas Atticus negligat, verba faciat, Philotimum mentitum esse opinor illas ex hereditatibus minas bis sexcentas quadraginta culpa liberti Timothei [1]) omnino non administratas esse ideoque usuras exigi non posse. Itaque in litteris ΔΙΕΥΑΥΤΗCΘΑΙ latere suspicor infinitivum perfecti passivi verbi διευθετεῖν [2]) h. e. ‚administrare': διευθετῆσθαι, quem si conferimus cum vestigiis codicis M., levissimo librarii mendo ortum esse apparet:

nos: ΔΙΕΥΘΕΤΗCΘΑΙ
Med.: ΔΙΕΥΑΥΤΗCΘΑΙ

nam syllaba ΑΥ ex repetitis litteris Δ et Υ, quae initio leguntur, coorta facillime genuinam syllabam ΘΕ summovere potuit. Jam vero verba: τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν διευθετῆσθαι πάντων ὀφειληθέντων κ. τ. λ. vertenda sunt: ‚harum autem ne obolum quidem administratum esse, quamquam omnia debita essent a Kal. Febr'. Fuit enim — ut equidem interpretor — Philotimi aut Timothei illius, in quem Philotimus culpam transfert, nomen illud ex hereditatibus constituta die (τοῦ δευτέρου μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ) exigere exactumque collocare aut certe operam dare, ut ei, quibus illud nomen pernumerandum erat, a Kal. Febr. usuram penderent; sed utrumque neglectum esse Philotimus mentitus esse videtur, quod, opinor, usuris Ciceronem fraudare conabatur: Propterea apud Ciceronem commorabatur exploraturus et aliquid sperans (παρῆν κατασκεψόμενος καί τι σχεδὸν ἐλπίσας) eaque spe destitutus temere abiit Ciceronemque obiurgavit vetere proverbio: ‚τὰ μὲν διδόμενα' sc. ἀνάγκη δέχεσθαι, quibus verbis Ciceronem iubet rationibus datis contentum esse usurasque nomine ipso servato negligere.

Denique accedimus ad epistulam libri X saepius iam commemorati duodecimam, in qua extrema oculis occurrunt litterae ΑΚΙΜΟΛΟΝ, ad quae Wesenbergius de emendatione desperans (Emend. alter. p. 122): ‚Quid in † ΑΚΙΜΟΛΟΝ lateat', adnotat, ‚Madvigius aliquis videat!' Manutiique coniecturam ἄκιμον (vel potius ἀκέσιμον) amplectitur. Sed, ut alia omittamus, codicis M. vestigia si intuemur, neque illud Manutii probare possumus neque quae ab aliis proposita sunt, veluti ἦθος Ἀχίλλειον (Cobetus), διδαχῇ ἁλωτὸν (Bosius), alia, quae enumerare longum est. — Verba Ciceronis haec sunt: ‚Nos iuveni, ut rogas, suppeditabimus et Peloponnesum ipsam sustinebimus. Est enim indolens (W.: indoles excellens), modo aliquod in (W.) hoc sit ἦθος ΑΚΙΜΟΛΟΝ. Quod si adhuc nullum est, esse tamen potest, aut ἀρετὴ non est διδακτόν, quod mihi persuaderi non potest.

Iuvenis, de quo Cicero scribit, Quintus filius est, qui quum illo tempore Caesaris partibus faveret, suis magno erat dolori cfr. ad Att. X, 4, 5 et 6: ‚alter — o rem miseram! nihil enim mihi accidit in tota vita acerbius — indulgentia videlicet nostra depravatus eo processit, quo non

[1]) τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ (Milonis ut Bootius conjecit; rectius fortasse αὐτῆς Wesenbergius proposuit) ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνωνος πατρί.

[2] διευθετέω: suum quodque loco et ordine digero, concinne pono et colloco, Etym. M. p. 726, 9 κοσμῆσαι καὶ διευθετῆσαι πάντα. (Stephanus).

